ORATIO LAUDATORIA,

In Ædibus

Collegii Regalis Med. Lond.

17mo. die Septembris.

HABITA

A *SAM. GARTH,*

Col. Reg. Med. Lond. Soc.

13.

LONDINI,

Impensis *Abelis Roper*, apud insigne Nigri Pueri, in vico vulgo vocato *Fleet-street*, MDCXCVII.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Viro Amplissimo, Ornatissimo,

CAROLO MONTAGUE,

Societatis Reg. Præsidi Eruditissimo.

Ærarii Quæstori Primario.

Fisci Regii Cancellario.

Serenissimo Principi

GULIELMO Magno

à Secretioribus Consiliis.

Et Orbis Britannici *deliciis, & fælicitati.*

Hoc obsequii, &
Observantiæ pignus
quàm humillimè offert,

B S. G.

Viro Amplissimo, Ornatissimo,

CAROLO MONTAGUE,

Societatis Reg. Præsidi Eruditissimo.

Ærarii Quæstori Primario.

Fisci Regii Cancellario.

Serenissimo Principi

GULIELMO Magno

à Secretioribus Consiliis.

Et Orbis Britannici delicia, & felicitati.

Hoc obsequii, &

Observantiæ pignus

quàm humillimè offert,

Clarissime PRO-PRÆSES,

Collegæ Doctissimi.

Auditores humanissimi!

Mirentur alii, neque id fortè injuriâ, cùm tot adsint Oratores, ingenio pariter & eloquentiâ illustres; me, qui neque doctrinâ neque arte dicendi polleam, provinciam hanc inauspicatò sortiri: Verum hoc quicquid est, sive honoris, sive muneris, non ambitu quæsitum est ac ne minimâ meâ propensione susceptum; sed cùm jubente Præside, reluctari nefas esse duxerim, existimationi potiùs & famæ propriæ, quàm officio deesse constitui; ne fortè videar non satis auctoritati ejus auscultasse, cujus ipso etiam in hortatu acquiescere debemus. Nec incepti mei me pœniteret, si tanti viri vestigiis insistere possem: Qui, quot habet

bet verba, tot illecebris leporibuſque abundat. Suavitate ſuâ permulcet, ſubtilitate docet, argumentis flectit, & varietate delectat; nervosâ inſuper *Salluſtii* brevitate pollet, *Curtii* acumine, & numerosâ *Tullii*, quoties ita viſum eſt, & diffusâ venâ. Nemo igitur *Millingtonum*, ut par eſt, niſi qui par ingenium ſortitus eſt, laudare moliatur; quàm impar autem & ineptus ego fuerim, Oratione hodiernâ abundè conſtabit.

Deſunt certè mihi & æquabile dicendi genus, & vis ſuaſoria; neque preſsè loqui ſcio, neque uberiùs, inventio mea jejuna eſt & ſterilis, geſtus denique rudis & incompoſitus. Quid igitur præſentiâ veſtrâ, quid arte noſtrâ dignum proferam? Non vos latet *Alexandrum* magnum (ut de *Zoroaſtre*, de *Mithridate*, de *Lyſimacho* ſileam) haud minimam medicinæ, idque *Stagyritæ* conſilio, dediſſe operam. Nec mirum, cùm veneranda antiquitas, quamplurimos medendi arte felices, non ſolum privilegiis, non præmiis, non ſtatuis, ſed reverentiâ planè religiosâ, ſed cultu prorsùs divino dignos exiſtimaverit: Homines enim ad deos nullâ re propius accedunt, quam ſanitatem dando, conſervando, reſtituendo.

Flammam febrium ferocientem reſtinguit Medicina, artus paralyticos & rigentes, benignis ignibus refocillat,

refocillat, Hydropis laticem exantlat, rerum scaturiginem sistit, vultum squallore morbido fœdatum decorat, & larvam tollit, tabidos instaurat, plùs justò saginatos redigit, torpidos irradiat, & insomnes consopit. Plantarum figuras & sapores pene infinitos distinguit, medullam fossilium intimam rimatur, naturam per mille Orbes & Mæandros sectatur, ipsissimum insuper terræ centrum, medicinæ perspicacitatem non fugit, nec quicquam in ipso delitescit Oceano.

Plura dicerem ut artis Apollineæ laudibus nequaquam deessem, verùm ista omitto, ne multa hac occasione non ita pridem audita recensere videar. De medicorum itaque dignitate & titulis, qui certiores fieri velint, *Foesium* & alios consulant. Sed in ea nos incidimus loca & tempora, quibus ipsa ægrotat medicina. Ars siquidem omnibus aliis utilissima, sibi suisque prodesse nescit, dùm plus Pseudo-medicis quam morbis laborat Anglia. Quot & quales sint isti, programmata parietibus affixa monent indies. Hic circumforaneus in plateis equo insidens, dentes evellit; Ille, domi certis horis fatuos expectat; Alter Matulas inspicit, & ubi morbum non invenit, facit; Alter, turbâ in unum Funambuli ope convocatâ, venit, videt, in confertissimam catervam irruit, & horrendam edit stragem. Non autem telis vulnerat ista Agyrtarum colluvies,

sed Theriacâ quadam magis perniciosâ, non pyrio, sed pulvere nescio quo exotico certat, non globulis plumbeis, sed pilulis æque lethalibus interficit. O genus hominum, si quod aliud sceleratissimum! totam urbem invadunt ast Homicidia, sed an imperitiâ an impunitate majori incertum; pro pudore, audacia, pro sagacitate insciția, pro integritate improbitas hodiè, ut olim, viget. Huic pesti ut occurreret *Henricus* octavus regum augustissimus, & sanitati subditorum religiosè consulens, Collegium hoc quamplurimis immunitatibus ad rem medicam moderandam stabiliendamque donavit. *Henrici* ad exemplum *Edwardus* sextus, *Mariæ* & *Elisabetha* Reginæ, *Jacobi*, *Caroliique* duo, nullum officii genus ad emolumentum nostrum spectans, omisere: Multa insuper *Mariæ* & *Arabellæ Stuartæ* ex regio sanguine oriundis debemus; *Lambrio* Baronî, summæ, eo tempore, authoritatis etiam multa; Nec minora Marchioni *Dorcestriæ*, Collegii hujusce legalis Socio, viro etiam animi dotibus quàm natalium splendore clariori. Neque nos fugiant Societatis nostræ & alia ornamenta, *Linacrus* nempe, *Atkinsius*, *Rendius*, *Merierellus*, *Foxus*, *Gulstonus*, *Pagetius*, *Bidgodsius*, *Pamanius*, præcipuè vero *Harveus* & *Hameus*: ingenti virtute & doctrinâ fuere ambo, sed indole paulum diversâ: *Harveus* benignitate clarus habebatur, Morum simplicitate *Hameus*; Ille humanitate festivâ probatus fuit, Huic augusta gravi-

tas

tas dignitatem dedit; Alterius lenitas, alterius ſtabilitas celebratur.

Quanti quidem *Harvæum* facere debemus non tam ex ore noſtro quam ſcriptis ejus diſcat *Europa*. Efflorescet indies beati Senis fama, quo doctiorem, nulla ætas vidit, nulla forſitan videbit: Cujus ingenii acumen atque ardor mentis, tanquam flamma quædam cælitus delapſa, totum Orbem literatum illuſtravit. Falſa pro veris olim recepta tenebris damnavit, latentia & abſcondita in lucem protulit; ipſiſſimam animalium originem, ſudore majori neſcio an ſagacitate, indagavit, æſtum ſanguinis feliciter obſervavit, motumque reciprocum palam fecit; nihil illum latuit, nemo virtutis ſimul & veritatis ſtudioſior; tanta fuit Illi benevolentia, ut nihil ſciverit quod alios neſcire voluerit; tanta Eruditio ut nemo ex eâ ad hanc fere diem ſciverit quod Ille ignoravit: ad Hæc, qualis in vultu facilitas, in verbis candor, in familiari conſuetudine lepor & venuſtas! Erga Collegas urbanitate, erga amicos conſtantiâ, erga pauperes charitate, erga omnes probitate inclaruit. Deorum immortalium ad inſtar pauciſſimis indiguit, & quamplurimis benefecit, etiam poſteris, non ſolum divina edocendo, ſed nos omnes Hæredes ex aſſe conſtituendo.

Haud

Haud longe alitèr *Hamæus*. Illius quidem munificentiâ effectum eſt, ut Collegium hodie ſuperſit; quantis quidem impenſis ædes haſce, ſæviente bello pluſquam civili, vindicaverit, neminem latere exiſtimo. Eſſe quàm videri munificus malebat: Alii munera, alii agros, alii ſtatuas, alii alia exoptant, & optando conſeneſcunt. Hic de nihilo niſi mente ſanâ & corpore ſano ſollicitus erat, Cujus amicitia dum vixit, nunc chariſſima nobis eſt memoria & longum colenda.

Neque *Cutlerum* Baronettum, præterire licet. Si ſilerem Ego, me monerent hi parietes, hæc ſubſellia. Vir ſanè neque alieni injuſte appetens, neque ſui profuſus; haud plus honeſta expetiit, quam male parta devitavit; omnia ſibi negavit, uti multa aliis elargiretur, fame & frigore ſe fere conficiens, uti Egenos victu & igne reficeret; publica curavit, neque interim propria neglexit: plura dicere decorum non eſt, neque fas, pauciora: Filiam diù Illi non ſuperſtitem reliquit, optimis animi ornamentis dotatam, & Illuſtriſſimo Comiti de *Radnor*, proſapiâ inſigni, virtute vero inſigniori, Connubio junctam.

Reſtant & adhuc nonnulli Benefactores qui in vivis ſunt. Domina nempe *Gratia Pierrepoint*, dotium pater-

paternarum nobilium hæres nobiliſſima: *Henricus Guy* Armiger, vir non minus humani ingenii, quam ad largiendum promptiſſimi, qui cum *Gulielmo Langham* & *Johanne Banks* Baronettis, integritate & conſilio probatis, digni ſunt ut commemorentur.

Ad te nunc Coronidis loco convertimur, Gulielme *Auguſte*, *Regum invictiſſime*, *non tam Collegii hujuſce* Jupiter *Stator & Cuſtos*, *quàm Orbis Chriſtiani liberator & publicæ quietis reſtitutor. Quòd regna* Europæa *meliora expectant*, *Tuum eſt*; *quod* Agricolæ *tempeſtates anni lætas ſperant*, *Tuum eſt*; *quod caſtitatem matres*, *quod pudorem filiæ jam tuentur*, *Tuum eſt*. *Te venerantur* Angli, *Te obſervant* Hiſpani, *Te mirantur* Germani, *Te colunt* Batavi, *& Te verentur* Galli. *Si geſta Majorum tuorum illuſtria*, *ſi genus antiquum ſpectemus*, *ecquid non veteres loquuntur Faſti & Annales? Tot Principes & Heroas è ſtirpe* Naſſoviâ *oriundos numeremus*, *quot vix homines è ſuâ poſſunt alii.*

Ignorat Nemo, nisi qui nescire mallet, vim Gallicam *vigenti, & eò amplius retro annis, toti Europæ tremendam incubuisse. Belli enim desuetudo socordiam, socordia servitutem sæpius parit, adeò ut de libertate publica desperandum esset, ni juvenis* Auriacus, *Majorum more, venienti morbo occurrere festinâsset. Quæ & quanta plane stupenda in* Flandris *gessisti, testatur inter alia prælium* Montibus *dimicatum, ubi hostilem exercitum penitus fudisti, ubi militarem Divi* Julii *scientiam,* Alexandri *annos nondum prætergressus, impleviſti, Tu penè impubis & jam Triumphator.*

Te de novo conservatorem petiit concussa salus publica, & in sinum tuum confugit suspirans Anglia; *Non te, propria ambitio Imperatorem fecit, sed nostræ angustiæ:* Britanniam *languentem, & extrema jam perpessam, vel ipsâ præsentiâ tuâ restituisti,*

tuisti, Hiberniam *ferè exanimem*, *adventu tuo refocillasti. Si insignium virtutis tuæ exemplorum immemor essem*, Boina *flumen me admoneret. Alveum fere deseruit cunctabundus ille amnis ut trajectui tuo indulgeret; traducis copias flumen, ordines deinde instruis, Legiones disponis, res ad manus venit; Ipse in prima acie stas inconcussus; non diu utrinque decertatum est, quin hostes, qui situs & opportunitates locorum apprimè calluere, impetum tuum non sustinentes, fugâ sibi consulere cæperunt. Fugientes insequeris, & quocunque tendis, Te comitatur Victoria.*

Cohortibus tuis nullus aditus vel est asper, vel arduus; subsidunt montes, exaresc unt flumina, patent januæ, & armis tuis cedit tota insula. Barbaris & Gallis *hoc modo subactis, quò Te fata trahunt, & gloria tua, vocaris*; Flandriam *denuo tot incendiis, vastatam, tot* Gallici *furoris indiciis* pessundatam

revisis,

revisis, patrocinium promittis, & lugendæ rerum sorti benignè succurris. Mænia Namurci *petis; milites, quo jubes, sequuntur alacres, & castris positis, oppidum obsidione premis.* Galli, *spe multâ in copiis & propugnaculis constitutâ, incæptum irrident. Nostri verò pristinæ virtutis memores, acriter & omni impetu obsessos adoriuntur; Teque auspice, & Teste* Francorum *exercitu, Castrum totius* Europæ *munitissimum, expugnant.*

Quis & quantus Ille dies, si tacerem Ego, Columnæ, Arcus triumphales, Obelisci, brevi eloquerentur. Ecquid est Auguste, quod pro utilitate publicâ, non molireris? cum Cocite *natares, cum* Fabio *cunctareris, & cum* Manlio *contra hostium agmina, solus licet, decertares. Non prosperis, supra quàm Majestati convenit, elatus es, neque rebus sinistris infractus; Sed si à Tuis in prælio derelictus fores, Uno animo, sed forti, sed magnifico,*

nifico, universos sustinere quum non posses, singulos vinceres.

Cœli inclementiam, ventorum impetum, Oceani furorem, hiemem & æstatem juxtà perpeti dignaris. Prælium ut primus inis, sic ab eodem ultimus desistis: Dii interim immortales, Te meliùs, quam ipse soles, curent, ne nimium audendo, crudelis sis in eos quos servasti; præsertim cùm ex tuâ unius fortitudine & prudentiâ, tot populorum salus, tot Principum securitas pendere videatur. Si jubes esse fœlices, sumus: Non tuos, ut alii reges, deprimis, sed demulces, sed attollis; neque vis tibi plura licere, quàm nobis omnibus, Tu solus. Tuimet Victor. Te eheu! teipsum vincere potuisse, luctuosâ occasione constabat, quum Maria *Augusta, quâ nulla ore amabilior, alloquio suavior terras reliquit. Emicuere in reginæ gestu, in fronte, in oculis, Majestas, candor, veneres, & quicquid delectationem & cultum unà conciliaret.*

Si Octavius Augustus, *si* Germanicus, *si* Trajanus, Liviam, Agrippinam, Plotinam *jactaverint, ecquid de Heroinâ nostrâ non eloquerentur omnes? Sed stillantes passim oculi, virtutes Illius cælestes fortius nuperrimè enunciârunt.*

Ipse quidem, Dive Gulielme, *die isthâc à lachrymis non temperasti, sed postquam Te esse Conjugem amantissimum probâsti, Te esse Heroem etiam meministi. Rebus* Britannicis *denuò invigilas, & negotia publica solus sustines, neque magis patriam armis tutaris, quam tuo ornas exemplo.*

Ne miretur aliquis me finem collaudandi ignorare, quum Tu finem mira præstandi nescias; sed in hoc minus stupenda sunt, quia Tua. Monetam nostram diminutam & adulterinam invenisti, probam (sed serò sit utinam) relinques. Britanni *etiam sub*

ſub adventum tuum, molles & enerves, nil hodie, Cæſare *duce, niſi victoriam ſpirant, nil niſi turpem famam metuunt. Dies me ante deficeret, quam geſta tua percurrerem, & qui tota recenſere velit, quos Tu emereris annos, habeat neceſſe eſt.*

Talia de Hercule, *de* Scipione, *de* Marcello *finguntur, ſed de Te vel Majora certa ſunt. Fama profectò tua uſque adeo ſe diffudit, ubique gentium ſic inclaruit, ut bellicoſus Ille* Ruſſiæ *Imperator, geſtorum æmulus, & nominis tui cultor, Te viſendi gratiâ, ab ultimo Septentrione venerit; tuo malens frui hoſpitio, tuas virtutes heroicas mirari, quam dignitatem Imperatoriam exercere, & qui eum domi manent triumphos, de* Turcis Tartariſque *debellatis, agere; & mox cùm eum Tu,* Prometheus *alter, igne cæleſti animaveris, Tuo afflatus Genio, tuo numine plenus, ad implenda* Græcorum *vota & vaticinia redibit*

dibit, Imperium Orientale *auſpicaturus. Regna interim hæc uſque ad invidiam ſub auſpiciis tuis effloreſcunt, qui tam* Optimi *Regis, quam* Maximi *Ducis omnes numeros impleviſti. Reliqua inſuper* Europa, *quin, & ipſa* Gallia, *tam longis belli infortuniis vexata, ad Regiam tuam Legatos mittunt, & finem miſeriarum expetunt. Precibus eorum annuens, ut* Jupiter *olim, nutu tuo Orbem pacâſti. Nunc ſilent litui, nunc rubiginem trahunt arma, nunc redeunt ſæcula ut olim aurea, conquieſcunt Cives, nec hoſtium incurſionibus divexantur Coloni. Deſinamus tandem omnes querelarum, & trophæa tua unanimes concinamus, dum Te domum reducem, ſellæ curuli inſidentem, ſpoliis decoratum, tunicâ palmatâ, purpurâque indutum, lauro coronatum, Captivorum agmine pone veniente, expectant regna tua;* Galliâ *denique in terminos proprios redactâ,* Hiſpaniâ *liberatâ,* Belgiâ *in tuto poſitâ, & Aquilæ* Germanicæ

manicæ *alis ad* Hungariæ *fines expansis*, *Tibi ludos publicos instituemus*, *Tequæ Orbis* Europæi *vindicem*, *Te propugnatorem*, *Te Statorem grati nuncupabimus*. *Nec jactent* Galli *Regem Suum dedisse Pacem*, *quam tot Urbium*, *tot Provinciarum redditione impetravit*. *Emit ergo sibi Pacem* Ludovicus *decimus quartus*, *dedit* Guliel-mus *verè Magnus*, *idemque Christianissimus*, *Orbi Christiano*.

Vix impetum hic reprimo, sed quoniam Princeps Optimus gesta sua reticeri, quam justis suorum præconiis recensèri mallet, & propriâ virtute, non alienis laudibus inclarescit, ad alia transibo; & vos omnes Collegæ orabo, ut in quantum Clementissimus totius terrarum Orbis Monarcha, regii hujus Collegii patrocinium suscepit, aliquid saltem tanto Patrono dignum moliamini. Præsidis optimi & doctissimique, & quamplurimorum hujusce qui adsunt societatis, exempla satis præclara vobis propono; Illi enim angustiarum & calamitatum alienarum participes, Repositorium Pharmacis omnimodis probe instructum, in egenorum levamen poni curarunt. Si pietas itaque tanta, charitas tanta vos commovere

valeat, ſi non in cæteris, in hoc tamen conformes eſtote obſecro; niſi eò ventum eſt, ut inimicos non ſolum foris, ſed domi etiam inveniamus. Si ſtatuta, ſi fides data, vana nomina ſint, veſtrâ utcunque intereſt Collegæ, ne immunitates veſtras vili faciant Iſti, qui vobis ſubſervire debent, ſed ut privilegia quæ a Majoribus accepiſtis, poſteris relinquatis. A vobis itaque obnixè peto, ut rurſus in concordiam redeatis; ut litibus inter nos compoſitis, Societatis noſtræ emolumento unà conſulamus.

Res, tempus, neceſſitas, magis quam Oratio mea vos hortentur. Nonne eò res devenit, ut nunc veremini eos, quibus vos decet eſſe terrori; quibus honeſta & inhoneſta omnia pariter lucro ſunt; Qui eruditionis inopes, qui moribus inculti, qui omni poſito pudore, ædes haſce funditus evertere ſatagunt; Qui, quod ſpiramus, indignantur: ſed licet diſcordiis noſtris quam ſuis conſiliis ſint feliciores; intelligant tamen nos fortiùs vigilare ad Collegii ſimul & populi ſalutem, quam ad perniciem Illi. Vos interim Collegæ (agant inter ſe Iſti ut lubeat) datæ fidei memores futuros ſpero. Plura dicerem ſi apud pertinaces valerent verba, nam ingenuis abundè dictum puto.

FINIS.